*Articvli,

de quibus conuenit inter Archiepiſcopos, & epiſcopos vtriuſq; prouinciæ, & clerum vniuerſum in ſynodo, Londini. An. Dom. 1562. ſecundum computationem eccleſiæ Anglicanæ, ad tollendam opinionum diſſentionem, & conſenſum in vera religione firmandum.

Æditi authoritate ſereniſſimæ Reginæ.

¶LONDINI,
apud Iohannem Dayum
Typographum.
An. Domini,
1575.

47.46

BIBLIOTHECA · BODLEIANA

Trinitatem.

VNus est viuus, & verus deus, æternus, incorporeus, impartibilis, impassibilis, immensę potentiæ, sapientiæ, ac bonitatis, creator, & conseruator omnium, tum visibilium, tum inuisibiliū. Et in vnitate huius diuinæ naturæ, tres sunt personæ, eiusdem essentiæ, potentiæ ac æternitatis, pater, filius, & Spiritus sanctus. 2.

De verbō, siue filio Dei, qui verus homo factus est.

FIlius, qui est verbum patris, ab æterno a patre genitus, verus & æternus Deus, ac patri consubstātialis, in vtero beatæ virginis, ex illius substantia naturam humanam assumpsit: ita vt duæ naturæ, diuina & humana, integrè atq; perfectè in vnitate personæ fuerint inseperabiliter coniunctæ, ex quibus est vnus Christus, verus Deus & verus homo, qui verè passus est, cruci- 3.

fixus, mortuus, & sepultus, vt patrem nobis reconciliaret, esset q; hostia, non tantùm pro culpa originis, verumetiam pro omnibus actualibus hominum peccatis.

De descensu Christi ad inferos.

3. *QVemadmodũ Christus pro nobis mortuus est, & sepultus, ita est etiam credendus ad inferos descendisse.*

De resurrectione Christi.

4. *CHristus verè a mortuis resurrexit, suumq; corpus cum carne, ossibus, omnibusq; ad integritatem humanæ naturæ pertinentibus, recepit: cum quibus in cœlum ascendit, ibiq; residet, quoad, extremo die ad iudicandos homines reuersurus sit.*

De Spiritu sancto.

5. *SPiritus sanctus a patre, & filio procedẽs, eiusdem est cum patre, & filio essentiæ, maiestatis, & gloriæ, verus, ac æternus Deus.*

De

De diuinis Scripturis, quòd sufficiant ad salutem.

SCriptura sacra continet omnia, quæ ad salutem 6.
sunt necessaria, ita, vt quicquid in ea nec legitur, neq; inde probari potest, non sit a quoquam exigendũ, vt tanq; articulus fidei credatur, aut ad salutis necessitatem requiri putetur.

Sacræ Scripturæ nomine, eos Canonicos libros veteris, & noui Testamenti intelligimus, de quorum authoritate, in Ecclesia nunq; dubitatũ est.

De nominibus, & numero librorum sacræ canonicæ Scripturæ veteris Testamenti.

Genesis.
Exodus.
Leuiticus.
Numeri.
Deuteron.
Iosuæ.
Iudicum.
Ruth.
Prior liber Samuelis.
Secũdus liber Samuelis.
Prior liber Regum.
Secundus liber Regum.
Prior liber Paralipom.
Secundus liber Paralipomen.
Primus liber Esdræ.
Secundus liber Esdræ.
Liber Hester.
Liber Iob.
Psalmi.
Prouerbia.
Ecclesiastes, vel concionator.
Cantica Salomonis.
4. Prophetæ maiores.
12. Prophetæ minores.

Alios autem libros (vt ait Hieronimus) legit quidem Ecclesia, ad exempla vitæ, & formandos mores : illos tamen ad dogmata confirmanda non adhibet, vt sunt.

Tertius liber Esdræ.	*Canticum trium puerorum.*
Quartus liber Esdræ.	*Historia Susannæ.*
Liber Tobiæ.	*De Bel & Dracone.*
Liber Iudith.	*Oratio Manasses.*
Reliquum libri Hester.	*Prior lib. Machabeorũ.*
Liber sapientiæ.	*Secundus liber Machabeorum.*
Liber Iesu filij Sirach.	
Baruch Propheta.	

Noui Testamenti omnes libros, (vt vulgo recepti sunt) recipimus, & habemus pro Canonicis.

De veteri Testamento.

7 *TEstamentum vetus, nouo contrarium non est, quandoquidem tam in veteri, q̃ in nouo, per Christum, qui vnicus est mediator Dei, & hominum, Deus & homo, æterna vita, humano generi est proposita. Quare malè sentiunt, qui veteres tãtum in promissiones temporarias speraſſe confingunt. Quanq̃ lex a Deo data per Mosen (quoad ceremonias & ritus) Christianos non astringat, neq; ciuilia eius præcepta in aliqua republica neces-*

necessario recipi debeant, nihilominus tamen ab obedientia mandatorum (quæ moralia vocãtur) nullus (quantumuis Christianus) est solutus.

De tribus Symbolis.

SYmbola tria, Nycœnum, Athanasij, & quod 8.
vulgo Apostolorũ appellatur, omnino recipienda sunt, & credenda, nam firmissimis Scripturarum testimonijs probari possunt.

De peccato originali.

PEccatum originis non est (vt fabulantur Pelagiani) in imitatione Adami situm, sed est vitium, & deprauatio naturæ, cuiuslibet hominis ex Adamo naturaliter propagati: qua fit, vt ab originali iustitia quàm lõgissime distet, ad malũ sua natura propendeat, & caro semper aduersus spiritũ cõcupiscat, vnde in vnoquoq; nascentium, irã Dei, atq; damnationẽ meretur. Manet etiam in renatis hæc naturę deprauatio. Qua fit vt affectus carnis Græcè Φρόνημα σαρκός (quod alii sapiẽtiam, alii sensum, alii affectũ, alii studium carnis interpretãtur,) legi Dei nõ subijciatur. Et quanq; renatis & credẽtibus, nulla propter Christum est condemnatio, peccati tamen in sese ra-

tionem habere concupiſcẽtiam, fatetur apoſtolus.

De libero arbitrio.

10. EA eſt hominis poſt lapſũ Adæ conditio, vt ſeſe naturalibus ſuis viribus, & bonis operibus, ad fidẽ, & inuocationẽ Dei cõuertere, ac præparare non poſſit. Quare abſq; gratia Dei (quæ per Chriſtum eſt) nos præueniente, vt velimus, & cooperante, dum volumus, ad pietatis opera facienda, quæ Deo grata ſũt, & accepta, nihil valemus.

De hominis iuſtificatione

11. TAntùm propter meritum Domini, ac Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti, per fidem, non propter opera, & merita noſtra, iuſti coram Deo reputamur. Quarè ſola fide nos iuſtificari, doctrina eſt ſaluberrima, ac conſolationis pleniſſima, vt in homilia de iuſtificatione hominis, fuſiùs explicatur.

De bonis operibus.

12. BOna opera, quæ ſunt fructus fidei, & iuſtificatos ſequuntur, quanquam peccata noſtra expiare,

piare, & diuini iudicii seueritatem ferre non possunt: Deo tamē grata sunt, & accepta in Christo, atq; ex vera & viua fide necessariò profluunt, vt planè ex illis, æque fides viua cognosci possit, atq; arbor ex fructu iudicari.

De operibus ante iustificationem.

13. OPera quæ fiunt, ante gratiam Christi, & spiritus eius afflatum, cum ex fide Iesu Christi non prodeant, minimè Deo grata sunt, neq; gratiam (vt multi vocant) de congruo merentur. Immo cum non sunt facta, vt Deus illa fieri voluit, & præcepit, peccati rationem habere non dubitamus.

De operibus supererogationis.

14. OPera quæ supererogationis appellant, non possunt sine arrogātia, & impietate prædicari. Nam illis declarant homines, non tantùm se Deo reddere, quæ tenentur, sed plus in eius gratiam facere, quàm deberent, cum apertè Christus dicat: Cum feceritis omnia quęcunq; præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus.

De Christo qui solus est sine peccato.

15. *CHristus, in nostrę naturę veritate, per omnia similis factus est nobis, excepto peccato, a quo prorsus erat immunis, tum in carne, tũ in Spiritu. Venit vt agnus, absque macula, qui mundi peccata per immolationem sui semel factam, tolleret, et peccatum (vt inquit Iohannes) in eo non erat: sed nos reliqui etiam baptizati, & in Christo regenerati, in multis tamen offendimus omnes. Et si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.*

De peccato post Baptismum.

16. *NOn omne peccatum mortale post Baptismũ voluntariè perpetratum, est peccatũ in Spiritum sanctum, & irremissibile. Proindè lapsis a Baptismo in peccata, locus pœnitentiæ non est negãdus, post acceptum Spiritum sanctum possumus a gratia data recedere, atq; peccare: denuoq; per gratiam Dei resurgere, ac resipiscere: ideoq; illi dãnandi sunt, qui se quamdiu hic viuant, amplius non posse peccare affirmant, aut verè resipiscentibus, veniæ locum denegant.*

De

De prædestinatione, & electione.

PRædestinatio ad vitam, est ęternũ Dei propo- 17.
situm, quo ante iacta mundi fundamenta, suo consilio, nobis quidem occulto constanter decreuit, eos quos in Christo elegit ex hominum genere, a maledicto et exitio liberare, atq; (vt vasa in honorem efficta) per Christum, ad ęternam salutem adducere. Vndè qui tam prędaro Dei beneficio sũt donati, illi spiritu eius, opportuno tempore operante, secundum propositum eius, vocãtur, vocationi per gratiam parent, iustificantur gratis, adoptantur in filios Dei, vnigeniti eius Iesu Christi imagini efficiuntur conformes, in bonis operibus sanctè ambulãt, & demũ ex Dei misericordia pertingunt ad sempiternã fœlicitatem.

Quemadmodum prędestinationis, & electionis nostrę in Christo pia consideratio, dulcis, suauis, & ineffabilis consolationis plena est, verè pijs, & bijs qui sentiunt in se vim spiritus Christi facta carnis, & membra, quæ adhuc sunt super terram, mortificantem, animùmq; ad cœlestia, & superna rapientem. Tum quia fidem nostram de æterna salute consequenda per Christũ plurimùm stabilit, atq; cõfirmat, tum quia amo-

rem nostrum in Deum vehementer accendit. Ita hominibus curiosis, carnalibus, & Spiritu Christi destitutis, ob oculos perpetuò versari prædestinationis Dei sententiam, pernitiosissimum est præcipitium, vnde illos diabolus protrudit, vel in desperationem, vel in æq; pernitiosam impurissimę vitæ securitatem, deindè promissiones diuinas sic amplecti oportet, vt nobis in sacris literis generaliter propositæ sunt, & Dei voluntas in nostris actionibus ea sequenda est, quam in verbo Dei habemus, diserte reuelatam.

De speranda æterna salute tantùm in nomine Christi.

18. SVnt & illi Anathematizandi, qui dicere audent vnumquemq; in lege, aut secta quam profitetur esse seruandum, modò iuxta illam, & lumen naturæ accuratè vixerit, cum sacræ literæ tantùm Jesu Christi nomen prædicent, in quo saluos fieri homines oporteat.

De Ecclesia.

19. ECclesia Christi visibilis est cœtus fidelium, in quo verbum Dei purum prædicatur, et sacramenta, quoad ea quę necessariò exigantur, iuxta Christi

Christi institutum rectè administrantur. Sicut errauit Ecclesia Hierosolimitana, Alexandrina, & Antiochena: ita et errauit ecclesia Romana, non solùm quoad agenda, et ceremoniarum ritus, verum in hys etiam quæ credenda sunt.

De Ecclesiæ authoritate.

ECclesiæ non licet quicq̃ instituere, quod verbo Dei aduersetur, neq; vnum Scripturę locum sic exponere potest, vt alteri contradicat. Quare licèt Ecclesia sit diuinorũ librorum testis, & conseruatrix, attamen vt aduersus eos nihil decernere, ita prẽter illos, nihil credendum de necessitate salutis debet obtrudere. 20.

De authoritate Conciliorum generalium.

GEneralia concilia, sine iussu, & voluntate principum congregari non possunt, & vbi conuenerint, quiã ex hominibus constant, qui nõ omnes spiritu, & verbo Dei reguntur, et errare possunt, & interdum errarunt etiam in his quę ad normam pietatis pertinent: ideóq; quę ab illis constituuntur, vt ad salutem necessaria, neq; robur habent, neq; authoritatem, nisi ostendi pos- 21.

sint è sacris literis esse desumpta.

De purgatorio.

22. *Doctrina Romanensium de purgatorio, de indulgentijs, de veneratione, & adoratione, tũ imaginum, tum reliquiarum, nec non de inuocatione sanctorum, res est futilis, inanitèr conficta, & nullis Scripturarum testimonijs innititur: immò verbo Dei contradicit.*

De vocatione ministrorum.

23. *NOn licet cuiq; sumere sibi munus publicè prædicãdi, aut administrãdi sacramẽta in ecclesia, nisi prius fuerit ad hęc obeũda legitimè vocatus, et missus. Atq; illos legitimè vocatos et missos existimare debemus, qui per homines, quibus potestas vocandi ministros, atq; mittendi in vineam Domini, publicè concessa est in ecclesia, coaptati fuerint, & asciti in hoc opus.*

De precibus publicis dicendis in lingua vulgari.

24. *Lingua populo non intellecta, publicas in ecclesia preces peragere, aut sacramenta administrare,*

strare, verbo Dei, & primitiuæ ecclesiæ consuetudini planè repugnat.

De Sacramentis.

SAcramenta à Christo instituta, non tantùm 25.
sunt notæ professionis Christianorum, sed certa quædam potiùs testimonia, & efficacia signa gratiæ, atq; bonæ in nos voluntatis Dei, per quæ inuisibiliter ipse in nos operatur, nostrámq; fidē in se non solùm excitat, verumetiam confirmat.

Duo a Christo Domino nostro in euangelio instituta sunt sacramenta, scilicet, Baptismus, & cœna Domini.

Quinq; illa vulgò nominata sacramenta: scilicet, confirmatio, pœnitentia, ordo, matrimonium, & extrema vnctio, pro sacramentis euangelicis habenda nō sunt, vt quę, partim a praua Apostolorum imitatione profluxerunt, partim vitę status sunt in scripturis quidem probati: sed sacramentorum eandem cum baptismo, & cœna Domini rationem non habentes, vt quę signum aliquod visibile, seu cęremoniam à Deo institutum, non habeant.

Sacramenta non in [illegible] instituta sunt a Christo vt spectarentur, aut circumferrentur, sed vt ritè illis vterentur, et in hijs duntaxat

qui dignè percipiunt salutarem habent effectũ: Qui verò indignè percipiunt, damnationem (vt inquit Paulus) sibi ipsis acquirunt.

De vi institutionum diuinarum, quòd eam non tollat malitia Ministrorum.

16. *QVamuis in ecclesia visibili, bonis mali semper sunt admixti, atq; interdum ministerio verbi, & sacramentorum administrationi presint, tamen cum non suo, sed Christi nomine agant, eiusque mandato, et authoritate ministrent, illorum ministerio vti licet, cùm in verbo Dei audiendo, tùm in sacramentis percipiendis. Neque per illorum malitiam, effectus institutorum Christi tollitur, aut gratia donorum Dei minuitur, quoad eos qui fide, & ritè sibi oblata percipiunt, quę propter institutionem Christi, & promissionem efficacia sunt, licèt per malos administrentur.*

Ad Ecclesiæ tamen disciplinam pertinet, vt in malos ministros inquiratur, accusentúrq; ab his, qui eorum flagitia nouerint, atq; tandem iusto conuicti iudicio deponantur.

De

De Baptismo

27. *Baptismus non est tãtùm professionis signum, ac discriminis nota, qua Christiani a nõ Christianis discernantur, sed etiam est signum regenerationis, per quod, tanq; per instrumentum, recte Baptismum suscipientes, ecclesiæ inseruntur, promissiones de remissione peccatorũ, atq; adoptione nostra in filios Dei per Spiritum sanctum visibiliter obsignantur, fides confirmatur, & vi diuinæ inuocationis gratia augetur.*

Baptismus parulorum omnino in ecclesia retinẽdus est, vt qui cum Christi institutione optimè congruat

De Cœna Domini.

28. *Cœna Domini non est tantùm signum mutuæ beneuolentiæ Christianorum inter sese, verùm potiùs est Sacramentum nostræ per mortem Christi redemptionis.*

Atq; adeo, rite, dignè, & cum fide sumentibus, panis quem frãgimus est communicatio corporis Christi: similiter poculum benedictionis, est communicatio sanguinis Christi.

Panis, & Vini transubstantiatio in Eucharistia, ex sacris literis probari non potest. Sed a-

pertis Scripturę verbis aduersatur, Sacramenti naturam euertit, & multarum superstitionum dedit occasionem.

Corpus Christi datur, accipitur, & manducatur in Cœna, tantũ cœlesti, & spirituali ratione. Medium autem quo corpus Christi accipitur, & manducatur in Cœna, fides est.

Sacramentum Eucharistiæ, ex institutione Christi non seruabatur, circumferebatur, eleuebatur, nec adorabatur.

De manducatione corporis Christi, & impios illud non manducare.

29. IMpij, et fide viua destituti, licèt carnaliter, & visibiliter (vt Augustinus loquitur) corporis, & sanguinis Christi sacramentum, dentibus premant, nullo tamen modo Christi participes efficiuntur. Sed potiùs tantę rei sacramentum, seu symbolum, ad iudiciũ sibi manducant, & bibunt.

De vtraque specie.

30. CAlix Domini laicis non est denegandus, vtraque enim pars Dominici sacramenti, ex Christi institutione, & præcepto, omnibus Christianis

ex

ex æquo administrari debet.

De vnica Christi oblatione in cruce perfecta.

OBlatio Christi semel facta, perfecta est redemptio, propitiatio, & satisfactio pro omnibus peccatis totius mundi, tàm originalibus, quàm actualibus. Nequè præter illam vnicam, est vlla alia pro peccatis expiatio, vndè missarum sacrificia, quibus, vulgò dicebatur, sacerdotem offerre Christum, in remissionem pœnæ, aut culpæ, pro viuis & defunctis, blasphema figmenta sunt, & pernicioſæ impoſturæ. 31.

De coniugio sacerdotum.

EPiscopis, Presbiteris, & Diaconis nullo mandato diuino præceptum est, vt aut cœlibatum voueant, aut a matrimonio abstineant. Licet igitur etiam illis, vt cæteris omnibus Christianis, vbi hoc ad pietatem magis facere iudicauerint, pro suo arbitratu matrimonium contrahere. 32.

De excommunicatis vitandis.

QVi per publicam ecclesiæ denunciationem ritè ab vnitate ecclesiæ præcisus est, et excõmu- 33.

nicatus, is ab vniuersa fidelium multitudine (donec per pœnitentiam publicè reconciliatus fuerit arbitrio Iudicis cõpetentis) habendus est tanquã Ethnicus & publicanus.

De traditionibus Ecclesiasticis

34 *TRaditiones atquè ceremonias easdẽ, non omnino necessarium est esse vbiquè, aut prorsus consimiles. Nam vt variæ semper fuerũt, & mutari possunt, pro Regionum, temporum, et morum diuersitate, modò nihil contra verbum Dei instituatur.*

Traditiones, & ceremonias ecclesiasticas quæ cum verbo Dei non pugnant, & sunt authoritate publica institutæ, atquè probatæ, quisquis priuato consilio volẽs, & data opera, publicè violauerit, is vt qui peccat in publicum ordinem Ecclesiæ, quiquè lædit authoritatem magistratus, & qui infirmorum fratrum conscientias vulnerat, publicè vt cæteri timeant, arguendus est.

Quælibet ecclesia particularis, siue Nationalis, authoritatem habet instituendi, mutandi aut abrogandi Ceremonias, aut ritus ecclesiasticos, humana tantũ authoritate institutos, modò omnia ad ædificationem fiant.

De

De Homiliis.

TOmus secundus Homiliarum, quarum singulos titulos huic articulo subiunximus, cõtinet piam & salutarem doctrinã, & hijs temporibus necessariã, non minus quàm prior tomus Homiliarum, quę editæ sunt, tempore Eduardi sexti: Itaq; eas in ecclesijs per ministros diligenter, & clarè, vt a populo intelligipoßint, recitã das esse iudicauimus.

De nominibus Homiliarum.

Of the right vse of the church
Agaynst perill of Idolatrie.
Of repairing & keping cleane of Churches.
Of good workes.
First of fastyng.
Agaynst gluttony and drunkennes.
Agaynst excesse of apparell.
Of prayer.
Of the place & time of praier.
That cõmon prayers and Sacramentes ought to be ministred in a knowne tonge.
Of the reuerent estimation of Gods word.
Of almes doyng.
Of the Natiuitie of Christ.
Of the passiõ of Christ.
Of the resurrection of Christ.
Of the worthy receiuing of the Sacrament of the body and bloude of Christ.
Of the giftes of the holy ghost.
For the Rogation dayes.
Of the state of Matrimonie.
Of Repentaunce.
Agaynst idlenes.
Agaynst rebellion.

De Episcoporum & Ministrorum consecratione.

36. *LIbellus de consecratione Archiepiscoporum, & Episcoporũ, & de ordinatione presbyterorum, et Diaconorũ, editus nuper temporibus Edwardi vj. et authoritate Parliamẽti illis ipsis temporibus cõfirmatus, omnia ad eiusmodi consecrationẽ, et ordinationẽ necessaria continet, et nihil habet, quod ex se sit, aut superstitiosum, aut impiũ: itaq; quicunq; iuxta ritus illius libri cõsecrati, aut ordinati sunt, ab anno secundo prædicti regis Edwardi, vsq; ad hoc tempus, aut imposterum iuxta eosdem ritus consecrabuntur, aut ordinabuntur, ritè, atq; ordine, atq; legitimè statuimus esse, et fore consecratos, et ordinatos.*

De ciuilibus magistratibus.

37. *REgia maiestas in hoc Angliæ regno, ac cæteris eius dominijs, summam habet potestatem, ad quam omnium statuum huius regni, siue illi ecclesiastici sint, siue ciuiles, in omnibus causis, suprema gubernatio pertinet, et nulli externæ iurisdictioni est subiecta, nec esse debet.*

Cum Regiæ Maiestati summam gubernationem tribuimus, quibus titulis intelligimus, animos

mos quorundam calumniatorum offendi, non damus Regibus nostris, aut verbi Dei, aut Sacramentorum administrationem, quod etiam iniunctiones ab Elizabetha Regina nostra, nuper editæ, apertissimè testantur. Sed eam tantum prærogatiuam, quam in sacris scripturis a Deo ipso, omnibus pys Principibus, videmus semper fuisse attributam, hoc est, vt omnes status, atq; ordines fidei suæ a Deo cõmissos, siue illi ecclesiastici sint, siue ciuiles, in officio contineant, & contumaces ac delinquentes, gladio ciuili coerceant.

Romanus pontifex nullam habet iurisdictionem in hoc regno Angliæ.

Leges Regni possunt Christianos propter capitalia, et grauia crimina morte punire.

Christianis licet, ex mandato magistratus, arma portare et iusta bella administrare.

De illicita bonorum communicatione.

FAcultates & bona Christianorum non sunt communia, quoad ius & possessionem (vt quidam Anabaptistæ falsò iactant) debet tamen quisq; de bis quæ possidet, pro facultatum ratione, pauperibus eleemosinas benignè distribuere. 38.

De iureiurando.

39. *QVemadmodum iuramentum vanum, & temerarium à Domino nostro Iesu Christo, & Apostolo eius Iacobo, Christianis hominibus interdictum esse fatemur: ita Christianorum religionem minimè prohibere censemus, quin iubente magistratu in causa fidei, & charitatis iurare liceat, modò id fiat iuxta Prophetæ doctrinam, in iustitia, in iudicio & veritate.*

Confirmatio Articulorum.

40. *HIc liber antedictorum Articulorum iam denuò approbatus est, per assensum, & consensum Serenissimæ Reginæ Elizabethæ Dominæ nostræ, Dei gratia Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ Reginę defensoris fidei &c. retinẽdus, & per totũ Regnũ Angliæ exequẽdus. Qui Articuli, & lecti sunt, & denuò confirmati, subscriptione D. archiepiscopi, & Episcoporum superioris domus, et totius Cleri inferioris domus in Conuocatione Anno Domini*

LIBER

quorundam Canonum

disciplinæ ecclesiæ

Anglicanæ. Anno 1571.

3. De Episcopis.
5. De Decanis ecclesiarum.
8. De Archidiaconis.
9. De Cancellariis. &c.
14. De AEdituis ecclesiarum.
19. De Concionatoribus.
20. De Residentia.
21. De Pluralitatibus.
21. De Ludimagistris.
22. De Patronis.

Sequuntur in hoc libello certi quidam articuli de sacro ministerio, & procuratione ecclesiarum, in quos plenè consensum est in synodo à Domino Matthæo Archiepisc. Cantuar. & totius Angliæ Primate & Metropolitano, & reliquis omnibus eius Prouinciæ episcopis, partim personaliter præsentibus, partim procuratoria manu subscribentibus in synodo inchoata Londini in æde Diui Pauli, tertio die Aprilis. 1571.

OMNES episcopi diligenter docebunt Euangelium, non tãtũ in ecclesijs cathedralibus quibus præsunt, sed etiam passim, per omnes ecclesias suę cuiusq; diœceseos, vbi maximè putabunt expedire.

Imprimis autem cohortabuntur populum ad lectionem, & auditionem sacrarum scripturarum: vtq; statis temporibus conueniant ad suas quiq; ecclesias, & diligenter auscultẽt sacris concionatoribus, vtq; submisse & audiant pias preces, quæ à ministro dicentur, & vna precentur ipsi & cœlestium mysteriorum, vt nunc in ecclesijs nostris authoritate, & iussu totius Regni legitimè, & piè procurantur, sint participes.

Episcopus quisq; antè Calendas Septembris proximas, aduocabit ad se omnes publicos concionato-

res, quicunq; erunt in sua cuiusq; diœcesi, & ab illis repetet facultates concionandi, quas habent authentico sigillo consignatas, easq; vel retinebit apud se, vel extinguet. Deinde, delectu illorum prudenter facto, quoscunq; ad illam tantam functionem, ætate, doctrina, iudicio, innocentia, modestia, grauitate, pares inuenerit, illis nouas facultates vltro dabit: ita tamen vt prius subscribat articulis christianæ religionis publicè in synodo approbatis, fidemq; dent, se velle tueri, & defendere doctrinam eam, quæ in illis continetur, vt consentientissimam veritati diuini verbi.

Episcopus etiam atq; etiam considerabit, quod genus hominum admittat in famulitium. Fit enim interdum, vbi hæc cautio & diligentia non adhibetur, vt homines impios & veræ religionis inimicos, & criminosos, & tota vita impuros, & sceleratos admittamus. Ex eo aduersarius facilè capiet maledicendi occasionem.

Episcoporum famuli in omni vestis genere, ita se modestè & compositè ornabunt, vt fratres suos, quos Paulus appellat domesticos fidei, non offendant.

Episcopus nemini posthac manum imponet, nisi instituto in bonis literis, vel in Academia, vel in inferiore aliqua schola: aut qui satis commodè intelligat latinam linguam, & probè versatus sit in sacris literis: nec nisi attigerit ætatem illam legitimam, quæ statutis & legibus est constituta: nec nisi cuius vita & innocentia grauium & piorum hominum, & Episcopo notorum fuerit testimonio commendata: nec si in agricultura, vel in vili aliquo & sedetario artificio fuerit educatus: nec nisi qui titulum (quem appellant) aliquem habeat, vt sit vnde vitam tueatur, si det per-

missu,

missu, vel in cæcitatem, vel in grauem corporis infirmitatem, vel in morbum diuturnum incidat: nec, nisi qui intra ipsius diœcesim sacro ministerio functurus sit, nec vnquam nisi vbi sacrum aliquod ministerium in eadem diœcesi vacare contigerit. Neminem autem peregrinum, & ignotum vel ad sacerdotiorum prouẽtus, vel ad ecclesiasticum ministerium recipiet, nisi ab illo Episcopo, è cuius diœcesi discessit, literas commendatitias, quas appellãt dimissorias, secum afferat.

Episcopus prębendarum, & beneficiorum suorum proximas, secũdas, aut tertias aduocationes, quas vocant, nulli dabit. Sunt enim & à bonis moribus, & à christiana charitate alienę: nec dimissiones fructuum aut redditũ cuiuscũq; rectorię, aut ecclesiastici beneficij, quacunq; ratione, in plurimos annos cõfirmabit.

Episcopus neminem, qui se otioso nomine lectorem vocet, & manus impositionem non acceperit, in ecclesiæ ministerio, versari patietur.

Quiuis archiepiscopus, & episcopus habebit domi suæ sacra Biblia in amplissimo volumine, vti nuperimè Londini excusa sunt, & plenam illam historiam quæ inscribitur *Monumenta Martyrum*, & alios quosdam similes libros ad religionem appositos. Locentur autem isti libri, vel in aula, vel in grandi cœnaculo, vt & ipsorũ famulis, & aduenis vsui esse possint.

Decani Ecclesiarum Cathedralium.

Eosdem illos libros quos proximè diximus, Decanus quisq; curabit emi, & locari in ecclesia sua Cathedrali, eiusmodi in

loco, vt à vicarijs & minoribus canonicis, & ministris ecclesiæ, & ab aduentis, & peregrinis cõmodè audiri, & legi possint.

Eosdem libros illos, Decanus & Primarius quisq; residentarius, quos appellant ecclesiæ dignitates, ement, suo quisq; famulitio, eosq; oportuno aliquo in loco, vel in aula, vel in cœnaculo locabunt.

Decanus & Prebendarij diligenter docebunt sacrum Dei verbum, non tantum in ecclesijs Cathedralibus, vbi viuunt, sed etiam in alijs Ecclesijs in eadem diœcesi, maximè verò in illis locis, vnde ipsis redditus annui, & stipendia suppeditantur. Quod nisi fecerint, pro episcopi arbitrio puniantur.

Nullus nec Decanus, nec Archidiaconus, nec Residentarius, nec Præpositus, nec custos, nec præfectus alicuius collegij, aut ecclesiæ cathedralis, nec præses, nec rector, nec quisquam ex illo ordine, quocũq; nomine censeatur, vtetur posthac amictu illo quẽ appellant Graium Amicium, aut alia vlla veste simili superstitione contaminata. Sed in ecclesiis quisq; suis vtentur tantum linea illa veste, quæ adhuc regio mãdato retinetur, & scholastica Epomide, quæ suo cuiusque scholastico gradui & loco conueniat.

Quilibet Decanus in singulos annos ad minimũ quater residebit in ecclesia sua Cathedrali, ibiq; singulis huiusmodi vicibus mensẽ integrum (si fieri potest) docẽdo verbũ Dei, & hospitalitatẽ seruãdo morã faciet, nisi fortè grauibus, & vrgentibus causis impedietur. Eas autem causas in singulas vices indicabit episcopo suo. Vbi autem venerit, vna cum Prebendarijs residentibus curabit, vt statuta illius ecclesiæ, nisi contraria sint (vt multa sunt) verbo Dei, & statuta huius

regni

regni quæcunq; sunt, quæ ecclesiasticũ ordinem attingunt, & sacræ Iniũctiones, vel à Regia Maiest. æditæ, vel ab episcopo in visitationibus illius ecclesię cathedralis impositæ, diligenter obseruentur. Prętereà Decanus & Residentarij quantum maximè possint dabunt operam, vt minores canonici, aut vicarij & ministri ecclesiæ, ne ignaui & inutiles vitam ducant in ocio, & illicitis lusibus se exerceant, adigantur ad studia scripturarum, vtq; illorum quisq; habeat nouum Testamentum, non tantùm Latino sermone scriptum sed etiam Anglico.

Decanus & Residentarij curabunt, ne qua alia forma obseruetur in canendis aut dicendis sacris precibus, aut in administratione sacramentorum, præterquam quæ proposita, & præscripta est in libro publicarum precum: nec vllum admittent peregrinum ad habendam sacram concionem ad populum, nisi ei, aut Regia Maiestas, aut Archiepiscopus illius Prouinciæ, aut illius diœceseos episcopus facultatem indulserit. Et si eiusmodi aliquis concionator, ita vel à Regia Maiestate, vel ab Archiepiscopo, vel ab episcopo approbatus, publicabit ad populum pro concione doctrinam aliquam peregrinam, & impiam, & pugnãtem, vel cum sacro Dei verbo, vel cum articulis religionis nostræ approbatis in Synodo, haud dubiè cum eodem verbo Dei, conscientiæ bus, vel cum libro publicarum precum: Decanus aut Residentarij primo quoq; tempore indicabunt id episcopo literis suis, & eorum aliquot qui concionantem audierunt manu consignatis, vt ille statuat quod videbitur.

QViuis Archidiaconus habebit domi suæ, & alios libros, & nominatim eos, qui inscribuntur *Monumenta Martyrum*.

Archidiaconus qui vel iure communi, vel præscriptione habet potestatem visitandi, semel in singulos annos in persona sua, visitabit Prouinciam suam: neq; quenquam sibi substituet officialem, nisi qui in Academia fuerit educatus, & iuri ciuili operã dederit, & annum ætatis vicesimum quartum compleuerit, & non solum doctrina, sed etiam grauitate, & modestia par sit, obeundo illi muneri.

Archidiaconi, & illorum substituti, quos appellant officiales, in visitationibus suis vocabunt clerum ad rationem, quantum quisq; promouerit in studio scripturarum, & quicunq; ex illo ordine magisterium artium in Academijs nõ attigerint, illis proponent partem aliquam noui Testamenti memoriter ediscendã, eosq; in proxima synodo ad repetitionem adigent, & contumaces, & negligentes episcopo indicabunt.

Peracta visitatione Archidiaconus significabit episcopo, quos inuenerit in quoq; decanatu, ea doctrina, & iudicio præditos, vt digni sint qui pro concione doceant populum, & præsint alijs. Ex illis episcopus potest delectũ facere, quos velit esse decanos rurales.

Archidiaconi in omnes delinquentes seuerè, & grauiter animaduertent, neq; conniuebunt ad vitia, aut quemq̃ quem constat offendisse, impunè abire patientur.

Archidiaconi curabunt, vt forensium suorum actorum memoriæ fideliter & tutò conseruentur, & semel

mel in singulos annos adferent ad Episcopum suum originalia exemplaria omnia Testamentorum, quæ coram ipsis anno superiori probata fuerint, vt ea in episcopi registro asseruentur, copias autem illorum testamentorum ad vsum suum ipsi sibi describent, si velint.

Cancellarii, Commissarii, Officiales.

QViuis Cancellari', Commissari', & Officialis erit institut' in legibus ecclesiasticis & ciuilib', qui annũ ætatis vicesimũ sextũ attigerit, & in scholis doctrinæ nomine gradum aliquem susceperit, & in forensibus causis mediocriter versatus fuerit, de cuius vita & moribus nullus sinister sermo audiatur. Adhęc quiuis horum, aut erit in sacro ministerio, aut si non erit, tamen animo toto, & feruenti zelo erga religionem feretur, idque apertè & ingenuè præ se feret: & antequàm in functionem ingrediatur, sacramento se obstringet, de authoritate & Primatu principis, atq; etiam subscribet articulis de religione in Synodo episcoporum approbatis.

Nullus horum, nec Cancellarius, nec Commissarius, nec Officialis in cognitione causarum procedet vsq; ad ferẽdam sentẽtiam excommunicationis, nisi tantùm in causis instantiarum. In correctionis negotijs, alia quidem facient omnia, quæ de iure possi[illegible]nt, & solent fieri.

Excommunicationis autem sent[illegible]tiam deferent tantùm ad episcopum: eamq; a[illegible]t ipse per se pronun-

ciabit,

ciabit, aut graui alicui viro in sacro ministerio constituto, pronunciandum committet. Postquam autem sententiam tulerit, addet insuper commonendi populi, & terroris causa, formulam illam verborum, quę postea suo loco subijcietur: atq; etiam aliam formulam similem, quæ seruanda sit in denuncianda ad populum excommunicatione, curabit describi, & mitti ad singulos ecclesiarum prefectos, vt habeant quo vtantur, si vsus postulet. Commutationem autem in iunctæ pœnitentiæ, nec Cancellarius faciet, nec Archidiaconus, nec officialis, nec Commissarius. Ea potestas multis grauibus de causis Episcopo soli reseruabitur, aut si quem alium, Episcopus ad eum vsum speciali mandato designabit.

Ecclesiasticus Iudex cuiuscunq; loci aut ordinis, neminem excommunicatum absoluet domi suæ, aut alioqui in priuatis ædibus: sed tantum publicè, & pro tribunali.

Cancellarij, Officiales, Commissarij, omnem adhibebunt diligentiam, vt cæteri omnes qui ipsorum iurisdictioni subijciuntur, officium faciant. Inprimis verò vt Rectores, Vicarij, & ministri ecclesiarum, studiosè versentur in sacris literis, & sibi libros ordini & professioni suæ congruentes, comparent, vt quicunq; ad magisterium Artium non accesserit, emat sibi duos libros noui Testamenti alterum latinè translatum, alterum anglicè, vt illorum quisq; memoriter ediscat ea pensa Scripturarum, quæ illi vel ab ecclesiastico Iudice ordinario, vel ab alio cuius fidem & industriam, Episcopus eligere malurit, fuerit imposita: vt obseruent ordines & ritus descriptos in libro Publicarum precum, tam in legendis

gendis sacris Scripturis, & precibus dicendis, quàm etiam in administratione Sacramentorum, vt neuè detrahant aliquid, neuè addant, neuè de materia, neuè de forma: vt honestè se gerant, & in graui vestitu, in libello admonitionum proposito, modestè & decenter ambulent: vtq; si familiam habeant, & vxores non habeant, mulierem aliam domi suæ ne alant, nisi aut matrem, aut sororem, aut neptem ex fratre aut sorore: quòd si cœlibes viuant, & vxores non habeant, in taberna aut caupona cibum ne capiant, sed honesta aliqua in domo in eadem parochia, vbi sine suspitione possint viuere: vt ne ludant aleam, neuè chartis, aut alijs improbatis lusibus se exerceant: vt arcu tantum vtantur & sagittis, idq; animi causa, vt modestè, & in tempore, ne vel ab officio faciendo, vel à sacrarum Scripturarum studijs auferantur.

Videbunt etiam ne Rector, Vicarius, aut Parochus vspiam inseruiat, vel in capella, vel in oratorio, aut publicas preces dicat, in cuiusq; priuatis ædibus, nisi episcopus illi autographo suo, & manus suæ subscriptione eius rei potestatem fecerit: Neue Rector aut Vicarius, aut Parochus inseruiat plusq; vni ecclesiæ, aut Capellæ vno die.

Quijuis Minister ecclesiæ, antequàm in sacram functionem ingrediatur, subscribet omnibus articulis de religione Christiana, in quos consensum est in Synodo: & publicè ad populum, vbicunq; Episcopus iusserit, patefaciet conscientiam suam quid de illis articulis, & vniuersa doctrina sentiat. Semel autem receptus in sacrum ministerium, ab eo imposterum non discedet, nec se aut vestitu, aut habitu, aut

in vlla vitæ parte geret pro Laico.

Quiuis Rector Ecclesiæ, Vicarius, aut Parochus, quotannis ante vicesimum diem a Paschate, exhibebit Episcopo, eiusue Cancellario aut Comissario, nomina & cognomina Parochianorum suorum, tã marium quàm fœminarum (eorum inquam) qui cum exegerint annum ætatis suæ decimum quartum, tamen ad sacrosanctam Communionem (vti statutis & legibus ecclesiasticis huius regni tenentur) non accesserint, quiq; subire examen ecclesiastici ministri de ediscendo Catechismo, & articulis Christianæ religionis, detractauerint: quiq; parentes, aut Domini, liberos aut famulos suos ad audiendum discendumq; eundem illum Catechismum constitutis temporibus ad ecclesiam mittere contempserint. Neminem autem patientur de sacro lauacro infantem suscipere, nisi qui ad mensam dominicam accesserit, & sanctorum misteriorum particeps fuerit: ad misteriorum autem Communionem neminem admittet, qui Catechismum, & articulos fidei non didicerit.

Omnibus dominicis, & festis diebus, Rectores, Vicarij, & Parochi ita maturè & conuenienter captato tempore venient ad ecclesias, vt parochiani confectis rebus suis, cum liberis & famulis possint eodem occurrere. Ibi verò reuerenter (vti par est) & piè peragẽt sacram misterium, ita clarè, aperte, distinctè, vt populus audire, & intelligere possit quid dicatur, & ex eo consolationem, & fructum capere. Eandem pietatem & reuerentiam in sacrosanctis etiam misterijs retinebunt, modo ne ad superstitionem, aut adorationem, aut idolatricum cultum vergant. Quòd si tempore sacræ Communionis nulla erit concio de scripto & e-

pul-

pulpito pronunciabunt vnam aliquam, aut aliam ex illis homilijs, quas iam antea publicauimus in illum vsum. Interim cohortabuntur populum, vt diligenter veniant ad ecclesias, vt quæ legantur, quæq; dicantur attentè audiant, vtq; se toto illo tempore reuerenter, & modestè gerant. Et ne piorum animi, insolentia & irreligiosa leuitate offendantur, curabunt ne iuuenes, præsertim rustici, quorum ingenia procliuiora ferè sunt ad neglectum pietatis, & nequitiam: neuè pulsent campanas, neuè per templum obambulēt, neuè inter se otiosè colloquantur, neuè aut risu, aut strepitu, aut scurrilibus ineptijs, vel ministrum impediant, vel offendant populum.

Admonebunt populum, vt frequentiùs accedant ad sacram communionem, vtq; iam antea tota mente (vti par est) sese preparent. Et vt omnes intelligāt quid debeant Deo optimo maximo, quid Principi, quem colere ac venerari debēt vt vicarium dei: quid legibus: quid magistratibus: quid fratribus suis: quid populo Dei, omnibus dominicis & festis diebus statim a meridie presto erunt in templis, ibiq; minimum ad duas horas legent, & docebunt Catechismum, & in eo instituent omnes suos omnium ętatum, atq; ordinum, non tantum puellas aut pueros, sed etiam si opus erit grandiores. Imprimis verò admonebunt adolescentes & iuuenes, non tantum mares, sed etiam fœminas, cautum esse legibus, ne quis illorum vel accedat ad sacram Communionem, vel contrahat nuptias, vel infantem è sacro fonte suscipiat, nisi anteà didicerit rudimenta religionis Christianæ, & possit ad omnes partes Catechismi conuenienter, & dextrè respōdere.

Quod si Rectores, vicarij, Parochi, vel concionari

non possint, vel facultatem concionandi ab episcopo non acceperint, tamē docebūt pueros prima elemēta legere, scribere, noscere officiū suū, quid debeāt deo, quid parentibus, quidq; alijs: & si quos ex illis viderint ea esse indole, vt possint institutione, atq; cultu ad literarum cognitionē peruenire, hortabūtur parētes, vt eos deducant ad scholam, vt imbuti bonis disciplinis possint aliquando idonei esse ad sacrum dei optimi maximi ministerium; quos autem hebetiores, & ingenio à literis alieniore esse senserint, vt eos curent, vel ad alias artes, vel etiam ad opus rusticum ablegari.

Admonebunt etiam Parochianos suos magnis & grauibus de causis, constitutum esse in Synodo à Reuerendissimo Patre, Domino Mathæo Archiepiscopo Cantuar. & alijs episcopis, ne liberi contrahant matrimonium sine consensu parentum, neue iuuenis cōtrahendi potestatem habeat, ante annum ætatis suæ decimum sextum; neue Puella ante decimum quartum.

Æditui ecclesiarum, & alij selecti viri.

Æditui pro consuetudine suæ quiq; Parochiæ, Parochianorum suorum, & ecclesiasticis suis ministris suffragijs, eligentur: alioqui æditui non erunt: nec amplius quàm vnum annum durabunt in illo munere, nisi forte iterum eligantur. Omnes autem Æditui semel in singulos annos reddent iustam rationem earum pecuniarum, quæ in suas manus peruenerunt: atq; etiam indicabunt particulatim quos

sumptus fecerint in sarta tecta, & vsum ecclesiæ, Postremo vero discedentes ab officio, quicquid pecuniarū, aliarūq; ecclesiasticarū rerum supererit, & in ipsorum erit potestate, id omne bona fide tradent Parochianis, vt ab illis rursus tradi possit proximis ædituis.

Æditui curabunt vt ecclesiæ, plumbo, tegula materia, vitro, diligenter & probè reficiantur, ne vel minister, vel populus, aut in sacro ministerio & cultu dei, aut in cœlestium misteriorum tractatione, aut in habenda & audienda communione, cœli iniurijs quatiatur. Imprimis autem operam dabunt, vt in omni ecclesiastico conuentu pax quàm maxime conseruetur & in omnibus episcoporum atq; Archidiaconorum, visitationibus fideliter & nominatim detegent, atq; indicabunt eos omnes qui sese in ecclesia immodestè gesserint, quiq; vel intempestiua pulsatione campanarum, vel ambulationibus, vel colloquio & strepitu, ministrum aut concionatorem impediuerint.

Æditui curabunt vt ædes sacræ, mundè & sanctè conseruentur, ne cuiquam vel puluere, vel ramentis, vel sordibus, moueant nauseam. Curabunt etiam vt sacra Biblia sint in singulis ecclesijs in amplissimo volumine (si commodè fieri possit) qualia nunc nuper Londini excusa sunt, vt liber publicarum precum, vt sacræ homiliæ, vtq; homiliæ, quæ nuper scriptæ sunt contra rebellionem, sint in singulis ecclesijs. Hos libros quam maximè integros & mundos esse conuenit. Laceros autem aut sordidos nullo modo, ne populo fastidium & contemptum pariant, Curabunt mensam ex asseribus compositè iunctam, quæ administrationi sacrosanctæ communionis inseruiat: & mundum tapetem, qui illam cõtegat: &

stum commodum, vnde cœlestis doctrina publicetur. Curabunt insuper, vt omnia illa solaria, in quibus crucēs ligneæ aliquando prostabant, & aliæ reliquiæ superstitionis prorsus è medio auferantur, vtq; templorū parietes noua fidelia inducantur & lectissimis sanctarum scripturarū sententijs illustretur. Vt illarum lectione & admonitu, populus possit ad pietatem commoueri. Postremo curabunt vt in singulis ecclesijs sit later fons, non puluis, in quo baptismus ministretur, itq; vt decenter & munde conseruetur.

Admonebunt etiam Caupones, & tabernarios, qui vendunt edulia, ne quem in cauponam, aut tabernam suam recipiant toto illo tempore, quo aut habebitur concio, aut sacrū ministerium peragetur. Quod si quis per contemptum, & contumaciam contrā fecerit, & illum ipsum, & eos quos ad se receperit, nominatim in proxima visitatione indicabunt. Si quis vel aperto adulterio, vel stupro, vel incestu, vel ebrietate, vel iurandi consuetudine, vel lenocinio, vel vsura, vel alia denum quacunque impuritate vitæ, & nequitia, fratres offenderit, illos Æditui amicè, & fraternè admonebunt, vt resipiscant. Quod nisi fecerint, indicabunt eos nominatim vel rectori, vel vicario, vel parocho, vt ab illis asperius, & vehementius admoneantur, & si pertoxerint, tandiu per dum redeant ad sanitatem, à sacra communione arceantur. Vtq; omnes qui incontinenter, & laxè viuunt, promeritis suis legū tenacitate castigetur. Idem æditui eosdem illos adulteros, fornicarios, incestos, ebriosos, iuratores, lenones, vsurarios in episcoporum & Archidiaconorum visitationibus patefacient.

Æditui conuiuia, sympotia, cœnas & delationes publicas

publicas in templis celebrari non patientur: nec campanas superstitiosè pulsari, vel in vigilia animarum, vel postridiè omnium sanctorum, qui dies non ita pridem genijs mortuorum sacer erat, nec omnino vnquam, vbi pulsandi consuetudo ad superstitionem videbitur inclinare. Illis autem tantũ temporib⁹ pulsari permittent, quæ in libello admonitionum descripta sunt, & ad eundem tantum vsum, eodemq; tantummodo.

Nundinas, & mercatus publicos celebrare, & fontes sententia iudicis cõdemnatos, neci dedere, & supplicio afficere diebus dominicis, non licebit.

Non patientur vt quisquam ex circumforaneis istis tenuibus, & sordidis mercatorib⁹, qui aciculas & ligulas, & crepũdia, & res viles & minutas circumferũt, ac distrahunt, quos pedarios, aut Pedularios appellant, proponãt merces suas vel in cœmiterijs, vel in porticib⁹ ecclesiarum, aut vspiam alibi dieb⁹ festis, aut dominicis, interim dum peragitur pars aliqua sacri ministerij, aut habetur sacra concio: nec vt mendici, aut errones, quib⁹ nulla est certa sedes, toto illo sacrorũ aut cõcionum tempore, hæreant in cœmiterio, vel in porticu. sed mandabunt, vt aut ingrediantur, aut discedant.

Obseruabunt etiam atq; inquirent diligenter ecqui ex parochianis, temporibus lege constitutis, aut non veniat ad ecclesias, aut tardius & negligentius veniant. Quosq; inuenerint deliquisse, in eos ex legum præscripto animaduertent. Obseruabunt etiam, ecquid omnes ac singuli parochiani toties accedant ad sacram Communionem in singulos annos, quoties leges & statuta iubent: ecqui etiam peregrini atq; aduenæ ex aliis parochijs, frequentius & visitatius veniant ad ecclesiam suam, illosq; parocho suo indicabunt,

 ne illos

ne illos fortè recipiat ad ſacram Communionem inter alios, ſed ad ſuos potiùs parochos reijciat.

Nullum nec rectorem, nec vicarium recipient ad miniſterium Eccleſiæ ſuæ, niſi quem Epiſcopus inſtitutione ſua approbauerit, & in poſſeſſionem illius eccleſiæ mandato ſuo miſerit. Nec parochum recipiēt niſi literis & ſigillo Epiſcopi, nominatim illi eccleſiæ cōmendatum. Quòd ſi Rector, Vicarius, aut Parochus aliter ſe gerat in miniſterio ſuo obeundo, aut quòd malè & obſcure, & confuſè legat, aut quod ſolutiùs, & laxiùs viuat, quàm hominē par ſit eius ordinis, & ex ea re grauis offenſio ſuſcipietur: Æditui eum maturè deferent ad epiſcopum, vt quàm primum animaduerſio aliqua, & vitij emendatio conſequatur.

Vtq; Epiſcopus intelligat, quæ conciones habitæ fuerint in ſingulis eccleſijs ſuæ diœceſeos: æditui curabunt, vt nomina omnium Concionatorum qui ad ſe alicundè venerint, annotentur in libello quem habebunt paratum in eum vſum, vtq; in eodem libello concionator quiſq; ſubſcribat nomen ſuum, & diem quo habuerit concionem, & eius Epiſcopi nomen à quo acceperit concionandi poteſtatem.

Poſtremo Æditui diligenter obſeruari curabunt ea omnia, quæ ad ipſorum officia pertinebunt, quæque Regijs iniunctionibus, & in libello admonitionum continentur, quæq; vel ab Archiepiſcopo, vel ab Epiſcopo in ſuis cuiuſq; viſitationibus ad vſum eccleſiarum proponentur. Quòd ſi quis eos vel iurgijs petulantèr inſectetur, vel etiam in ius trahat, quòd officium fecerint, & errantes detexerint, id quoq; indicabunt Epiſcopo, vt eius opera, & ſtudio facilliùs à moleſtia liberentur.

Conci-

Concionatores.

NEmo niſi ab epiſcopo permiſſus in parochia ſua publicè prædicabit, nec poſthac audebit Cõcionari extra miniſteriũ, & eccleſiam ſuã, niſi poteſtatẽ ita concionandi acceperit, vel à Regia Maieſtate per omnes regni partes, vel ab archiepiſcopo per prouinciã, vel ab epiſcopo per diœceſim. Nulla autẽ poteſtas concionandi firma erit in poſterum, aut authoritatem aliquam obtinebit, niſi tantùm quæ impetrata fuerit poſt vltimum diem Aprilis, qui fuit in anno. 1571. Concionatores modeſtè & ſobriè in omni vitæ parte ſeſe gerent.

Imprimis vero videbunt, ne quid vnquam doceant pro concione, quod à populo religioſè teneri & credi velint, niſi quod conſentaneum ſit doctrinæ veteris aut noui teſtamenti, quodq; ex illa ipſa doctrina catholici patres, & veteres epiſcopi collegerint. Et quoniam articuli illi religionis chriſtianæ in quos conſenſum eſt ab epiſcopis in legitima & ſancta ſynodo, iuſſu atq; authoritate ſereniſſimæ principis Elizabethæ conuocata, & celebrata, haud dubiè collecti ſunt ex ſacris libris veteris & noui teſtamenti, & cum cœleſti doctrina, quæ in illis cõtinetur, per omnia congruunt quoniam etiam liber publicarum precum, & liber de inauguratione Archiepiſcoporum, epiſcoporum, Preſbiterorum, & diaconorum, nihil continent ab illa ipſa doctrina alienum, quicunq; mittentur ad docendum populum, illorum articulorum authoritatem & fidem non tantum concionibus ſuis, ſed etiam ſubſcriptione confirmabunt. Qui ſecùs fecerit, & contraria doctrina populum turbauerit, excommunicabitur.

Inter

Inter concionandum vtentur veste quam maximè modesta, & graui, quæ deceat, atq; ornet ministrum Dei, qualisq; in libello admonitionum descripta est. Nec pecuniam pro concione, aut mercedem vllam exigent: sed victu tantum & simplici apparatu, & vnius noctis hospitio contenti erunt.

Vanas & aniles opiniones, & hæreses, & errores Pontificios, à doctrina, & fide Christi abhorrentes, nõ docebunt: nec omninò quicquam, quo imperita multitudo, vel ad nouitatis studium, vel ad contentionem inflãmetur. Semper autem proponent ea, quæ ad ædificationem faciant, & auditores Christiana concordia, & charitate concilient.

Residentia.

ABsentia Pastoris à dominico grege, & secura illa negligentia, quam videmus in multis, & destitutio ministerij, est res & in in se fœda, & odiosa in vulgus, & pernitiosa ecclesiæ Dei. Itaq; hortamur omnes pastores ecclesiarum in Domino Iesu, vt quàm primũ redeant ad parochias quiq; suas, & diligenter doceant Euangelium, & pro fructuũ suorum ratione alant familiam, & hospitalitate iuuent pauperes: ibiq; versentur in singulos annos, non minus quam sexaginta dies.

Pluralitas.

NOn licebit cuiquam cuiuscunq; sit gradus, aut ordinis, pluspiam duo ecclesiastica beneficia obtinere eodem tempore. Neq; cuiquam om-

omninò licebit obtinere duo beneficia, si pluſquám viginti ſex milliarijs diſtincta ſint.

Ludimagiſtri.

NOn licebit cuiquam docere literas, & inſtituere pueros, nec publicè in ſchola, nec priuatim in cuiuſquam ædibus, niſi quem epiſcopus eius diœceſeos approbauerit, cuiq; ſub authentico ſigillo ſuo docendi poteſtatem fecerit. Hoc autem loco primariam nobilitatem honoris cauſa excipimus. Epiſcopus autem nullum Ludimagiſtrum approbabit, nec illo munere dignũ cenſebit, niſi quem ſuo iudicio doctum, & illo loco dignum inuenerit, quemq; de vita & moribus, & in primis de religione viderit piorum hominum teſtimonio commendari.

Ludimagiſtri nullam docebunt grammaticam, niſi eam quam ſolam Regia Maieſtas per omne regnum in omnibus ſcholis legi mandauit: nec alium Latinũ Catechiſmum quàm qui æditus eſt. Anno. 1570. quẽ etiam Anglicè redditum, pueros, qui Latinè neſciunt, doceri volumus.

Alios autem libros docebunt, vnde Latini Græciq; ſermonis copia & puritas addiſci poſſit, & eos in primis, qui ad notitiã Chriſti, & pietatem faciant. Semel autẽ in ſingulos annos indicabũt epiſcopo, quos habeãt ex omni numero lectiſſimos, qui ea ſint indole, doq; profectu in literis vt ſpes ſit, vel ad functionẽ politicã, vel ad ſacrum miniſteriũ fore accõmodos. Hac ſpe parentes inducti, eos libentius alent ad literas.

Imprimis vero ita instituent, & formabunt linguas puerorum, vt apertè, clarè, distinctèq; pronuncient. Et quoties habebitur sacra concio, eos vel emittent, vel deducent ad templum, vt statim à teneris incipiant eruditi ad pietatem, neuè negligenter audierint: vbi redierint ad scholam, vocabunt singulos ad examen quid ex illa concione didicerint: quoq; magis pueriles animi ad virtutem & industriam excitentur, otiosos & ignauos reprehendent, attentos & diligentes collaudabunt.

Patroni & Proprietarii.

EPiscopus grauiter & studiosè cohortabitur Patronos beneficiorum, vt cogitent necessitates ecclesiæ, & ante oculos habeant vltimũ illum diem, & iudicium, & tribunal Dei. Itaq; vt neminem promoueãt ad munus ecclesiasticum, nisi qui doctrina, iudicio, pietate, probitate vitæ, & innocentia possit onus tam graue sustinere, vt nihil in ea re nisi integrè incorruptè & sincerè faciant. Se enim vsurũ omnibus honestis & legitimis rationibus, vt verum possit inueniri. Quòd si vel in ipsa præsentatione, vel etiam postea senserit corruptelam vllam, aut simoniacum commertium, quocunq; modo, quantumuis obscurè, vel directè, vel indirectè, vel per ipsum, vel per alios interfuisse, vt ad ipsum vel pecunia, vel prætium, vel commoditas aliqua, vel pars aliqua fructuũ perueniret, vellè se facti nequitiã, & simoniam publicare & palam facere, non tantum in Cathedrali ecclesia, sed etiam alibi, ad illius probrum, & dedecus sempiternũ: & præsbiterũ quem ita nequiter præsentauerit,

tauerit, non tantum a sacerdotio, in quod mala fide ingressus sit, sed etiam ab omni ministerio, & à tota diœcesi remouere.

Domina Regina humiliter & submisse roganda est, vt ratio aliqua ipsius permissu & iussu ineatur, vt in ecclesijs, quæ ad illam proprietario iure peruenerunt, Cancelli quàm primũ reficiantur, vt annuum stipendium peragendo sacro ministerio, constituatur. Nunc enim multis in locis, & Cancelli fœdum in modum corruerunt: & ministerium ecclesiæ propter stipendij vilitatem destituitur.

Episcopus curabit vt iustum Inuentarium, quodq; vocant terrarium, omnium agrorum, pratorum, hortorum, pomariorum, quæ ad Rectoriam aliquam, aut Vicariam pertinent, ex proborum hominum inspectione sumatur, & in archia sua referatur, ad rei memoriam sempiternam.

Episcopus non patietur Procuratorem alicuius beneficij vllã habere potestatem in ministrũ Dei, vt eum vel admittat vel reijciat: Neq; minister minùs a quoq; accipiet nomine stipendij, quàm decem libras.

Omnia matrimonia, quæ vspiam contracta sunt intra gradus cognationis, aut affinitatis prohibitos in 18. Leuitici, authoritate Episcopi dissoluentur: maximè verò, si quis, priore vxore dimortua, eius sororem vxorem duxerit: hic enim gradus cõmuni doctorum virorũ consensu, & iudicio putatur in Leuitico prohiberi.

Non licebit cuiq; matrimonium contrahere inter illos gradus, qui in tabula à reuerendissimo patre Domino Archiepiscopo Cantuariensi, in eum vsum scripta & publicata, prohibentur.

Forma sententiæ excommunicationis.

FRatres, quoniam quicunq; profitemur nomen Christi Iesu, sumus omnes membra eiusdem corporis, & par est vt vnum membrum alterius membri, sensu, & dolore afficiatur: pro officij mei ratione, significo vobis, A.B. publicè accusatum esse de adulterio, in quo, fama est, eum vixisse nequiter, & turpiter, cum ipsius dedecore, & infamia, & graui offensione ecclesiæ dei: & ea causa, vt insignis illa turpitudo supplicio aliquo afficeretur, ad episcopi tribunal, vocatum esse. Et quoniam prædictus. A. B. conscientia nequitiæ suæ, ad diem legitimè dictum comparere contempsit, & se iustitiæ contumaciter subduxit, & alios exemplo suo ad similem contumaciã animauit, idcirco hoc etiam vos insuper admonitos volo, episcopum nostrum, nomine, atq; authoritate Dei optimi maximi excommunicasse illum ab omni societate ecclesiæ Dei, & tanquam membrum emortuum amputasse a Christi corpore. Hoc ille in statu versatur hoc tempore, & in tanto discrimine animæ suæ. Diuus Paulus admonitus instinctu diuini spiritus, iubet vt cum huiusmodi homine societatem, & conuictum fugiamus, ne participes simus eiusdem sceleris. Tamẽ, vt ebristiana charitas nos monet, quoniam ipse pro se orare non vult, nec periculũ suũ intelligit, oremus Deũ omnes eius nomine, vt aliquando agnoscat miseriam, & fœditatem vitæ suæ, & agat pœnitentiam, & conuertatur ad Deum. Deus enim noster est misericors, & potest lapsos etiam a morte reuocare.